Vicipædia

Lingua Niueana

Lingua Niueana[1] (Niueane: *ko e vagahau Niuē*) est lingua Polynesia quae ad gregem Malayo-Polynesium linguarum Austronesianarum pertinet. Artissime cum lingua Tongana cognata est, cum Maoriana, Samoana, Havaiana, et aliis linguis Polynesiia aliquantulum remotius. Tongana et Niueana linguas Tongicas una constituunt, subgregem linguarum Polynesiarum. Niueana etiam nonnullas proprietates linguarum Samoanae et Polynesianarum Orientalium monstrat.



Alofi, caput civitatis.

Index

Locutores

Niueana anno 1991 fuit in usu a circa 2240 insulanorum in Niue (97.4% incolarum), et a nonnullis in Insulis Cook, Nova Zelandia, et Tonga, quorum summa est circa 8000 locutorum[?]. Ergo sunt plures qui Niueana utuntur extra insulam quam in insula ipsa. Plures insulani sunt bilingues in Niueana et Anglica. Decennio 200 ineunte, 70 centesimae locutorum Niueanae in Nova Zelandia habitabant.[2]

Dialecti

Niueana in duabus dialectis praecipuis consistit: **Motu** dialecto vetustiore, ex septentrionalibus insulae regionibus, et **Tafiti,** dialecto australi. Haec voces vicissim significant 'indigenae' et 'advenae' (vel etiam 'homines ex longinquo'). Varietates inter dialectos praecipue in vocabulario vel forma nonnullarum vocum sunt. Inter exempla varietatum vocabularii sunt *volu* (Tafiti) et *matā* (Motu) 'radere, quod radit' ac *lala* (T) et *kautoga* (M) 'guava (planta)'; inter exempla varietatum formae sunt *hafule* (T) / *afule* (M), *aloka* / *haloka*, *nai* / *nei*, *ikiiki* / *likiliki*, et *malona* / *maona*.

Phonologia

	Labialis	**Alveolaris**	**Velaris**	**Glottalis**
Plosivus	p	t	k	
Fricativus	f v	(s)		h
Nasalis	m	n	ŋ	
Liquidus		l (r)		

IPA [s] est allophonum /t/ ante vocales anticas (/i/ et /e/, longas et vreves). IPA /r/ et /s/ sunt phonemata marginali, solum in vocibus mutuatis apparentia; nonnulli locutores pro eis [l] et [t] vicissim substituunt.

Vocales

	Antica		Media		Postica	
	longa	brevis	longa	brevis	longa	brevis
alta	iː	i			uː	u
media	eː	e			oː	o
humilis			aː	a		

Longitudo vocalium in Niueana est distinctiva: vocales sunt aut longae aut breves. Praeterea, duae vocales adiacentes et idem (sive brevis-brevis, brevis-longa, longa-brevis, sive longa-longa) vocalem rearticulatam constituunt; sonus a sono unius vocalis longae discrepat. Vocales breves et longae in quolibet loco fiunt. Omnes vocales breves se consociare possunt ad formandos diphthongos. Diphthongi qui fiunt possunt:

- /ae/ /ai/ /ao/ /au/
- /ea/ /ei/ /eo/ /eu/
- /ia/ /ie/ /io/ /iu/
- /oa/ /oe/ /oi/ /ou/
- /ua/ /ue/ /ui/ /uo/

Rearticulatio

Rearticulatio est separata binarum vocalium adiacentium enuntiatio, contra diphthongos, qui, quamquam duae littera scripti, unus sonus enuntiantur. Hae vocales duae eaedem vel variae esse possunt. Rearticulatio trans fines morphematum usitate fit; exempli gratia, cum suffixum quod in vocali finit radicem quae in eadem vocale incipit antecedat. Duae breves vocales eaedem semper rearticulantur, ut sunt mixturae quarumlibet duarum vocalium longarum vel vocalis brevis et vocalis longa; duae adiacentes vocales breves et variae rearticulari vel diphthongum formare possunt.

Structura syllabarum

Fundamentalis syllabae Niueanae forma est (C)V(V); omnes syllabae in vocale vel diphthongo finiuntur, et in uno consonante vel nihil incipere possunt. Fasciculi consonantium in vocibus mutuatis vocalibus epentheticis comminuuntur; exempli gratia, Anglica *tractor* fit Niueana *tuleketā*.

Accentus

Accentus in vocabulo Niueano paene semper in paenultimam cadunt, quamquam vocabula multas syllabas habentia quae in vocale longa finiuntur accentum primarium in finali vocale longa et accentum secundariam in paenultima ponunt. Vocales longae in aliis locis quoque accentum secundarium attrahunt.

Pausa glottalis

Lingua Niueana pausam glottalem non continet, rem quae in lingua Tongana, sua artissima cognata, adest; nonnulla vocabula distincta ergo miscuntur; exempli gratia, Tongana *ta'u* 'annus' et *tau* 'pugnare' in Niueana ut 'tau' miscuntur.

Orthographia

Orthographia Niueana plerumque est phonemica; hoc est, una syllaba unum sonum repraesentat, et vice versa.

Abecedarium

Usitatus ordo alphabeticus, usitatis nominibus litterarum datus, est *ā, ē, ī, ō, ū, fā, gā, hā, kā, lā, mō, nū, pī, tī, vī, rō, sā*. Nota bene: *rō* et *sā*, quia litterae introductae sunt, ad finem ordinantur. Sperlich pro suo dictionario (1997) ordine alphabetico in lingua Anglica condito utitur: *a, ā, e, ē, f, g, h, i, ī, k, l, m, n, o, ō, p, s, t, u, ū, v*. Suadet praeterea consonantes constanter cum *ā* sequenti nominari: *fā, gā, hā, kā, lā, mā, nā, pā, tā, vā, rā, sā*. Longitudo vocalium macro notari potest, sed locutoresmacronem saepe in scriptura omittunt.

Grammatica

Typologia

Lingua Niueana lingua VSO putari potest; quaedam autem explicatio Niueanae terminologia ergativa utitur, qua ordo vocum melius appellatur verbum-agens-patiens. Quia casus non notatus est absolutivus, constructiones verborum Niueanorum saepe passivae cum ad verbum converterentur videntur. Compara

> *Kua kitia e ia e kalahimu*
> TEMPUS videre AGENS is ARTICULUS cancer
> 'Cancer ab eo visus est'

et

> *Kua kitia e kalahimu*
> TEMPUS videre ARTICULUS cancer
> 'Cancer visus est'

Prima sententia etiam converti potest in constructionem nominativo-accusativo: 'Cancrum vidit'.

Numeri

Nonnulli numeri Niueani sunt:

1 taha	**10** hogofulu	**100** taha e teau	**1000** taha e afe
2 ua	**20** uafulu	**200** ua (e) teau	**2000** ua (e) afe
3 tolu	**30** tolugofulu	**300** tolu (e) teau	**3000** tolu (e) afe
4 fa*	**40** fagofulu	**etc.** etc.	**etc.** etc.
5 lima	**50** limagofulu		
6 ono	**etc.** etc.		
7 fitu			
8 valu			
9 hiva			

Vocabula composita

Multa vocabula simpliciter formantur per coniunctionem aliorum vocabulorum; exempli gratia *vakalele* 'aeroplanum' ex *vaka* 'cymba' + *lele* 'volare' (hoc ad verbum est 'cymba volans'). Diane Massam egregium compositionis genus penitus investigavit, quod ea falsam nominum incorporationem (Anglice: *pseudo noun incorporation*) appellat, genus incorporationis nominum.

Nexus interni

- Ioannes Pule

Notae

1. Laurie Bauer, *The Linguistics Student's Handbook* (Edimburgi, 2007).
2. Christopher Moseley et R. E. Asher, eds., *Atlas Of The World's Languages* (Novi Eboraci: Routledge, 1994), p. 100.

Bibliographia

- Bible Society in the South Pacific. 2003. *Ko e Tohi Tapu | The Holy Bible in Niue.* Suvae: The Bible Society in the South Pacific. ISBN 0-564-00077-9.
- Kaulima, Aiao, et Clive H. Beaumont. 1994. *A First Book for Learning Niuean.* Aucopoli: Beaumont and Kaulima. ISBN 0-9583383-0-2.
- Kaulima, Aiao, et Clive H. Beaumont. 2000. *Learning Niuean, Book 2. Tohi Ako Vagahau Niue.* Aucopoli: Beaumont and Kaulima. ISBN 0-9583383-9-6.
- McEwen, J. M. 1970. *Niue Dictionary.* Vellingtoniae: Department of Maori and Island Affairs.
- Seiter, William J. 1980. *Studies in Niuean Syntax.* Novi Eboraci et Londinii: Garland Publishing, Inc. ISBN 0-8240-4560-2.
- Sperlich, Wolfgang B. 1997. *Tohi vagahai Niue—Niue language dictionary: Niuean–English, with English–Niuean finderlist.* Honolulu: University of Hawai'i Press. ISBN 0-8248-1933-0.

- Tregear, Edward, et S. Percy Smith. 1907. *A Vocabulary and Grammar of the Niue Dialect of the Polynesian Language.* Vellingtoniae: Government Printer.

Nexus externi

- Learn to speak Niue - Vagahau Niue - the Niuean Language, (http://www.learnniue.com) www.learnniue.com
- Niuean, (http://www.ethnologue.com/show_language.asp?code=niu) www.ethnologue.com (Ethnologue)
- "Niuean Basic Vocabulary List," (http://language.psy.auckland.ac.nz/austronesian/language.php?id=00247) language.psy.auckland.ac.nz
- "Daily Learning of the Niue Language," (http://akoniue.wordpress.com) akoniue.wordpress.com
- "Support Proposal for Wikipedia in Niuean Language," (https://meta.wikimedia.org/wiki/Requests_for_new_languages/Wikipedia_Niuean) meta.wiklimedia.org